









1736.

1. Badenius, Christianus Fülliel : De peccatis officialium lectorum  
di fariorum procurorum et provinciarum regum Germania-  
mici

2. Engan, Dr. Rudolphus : De regiomontani pontium sanctitate  
(ac simul et predicationes suas invitata.)

3. Engan, Dr. Rudolphus : De blasphemis itinereque criminis.  
(ac simul et predicationes suas invitata). Exemplar

4. Engan, Dr. Rudolphus : De pontium regiomontani iuribus

5, 6, 7, 8, d. Estor, James Scourias : De doctilitione censet prop  
= The secondas ruptas. 4 Janvpt 1736 - 1742 -

1758.

6. Heimburgius, Dr. Casparus : De his, quae in ultima  
voluntate per scripturas privatam declaratae  
propter causas relinquentur.

7. Herbelius, Dr. Fredericus : Prologue academicus : De harmonia  
praestabilita jura et justitiae, quae predicationes suas . . .  
indicit.

1736.

8<sup>a</sup> et Hertelius, Jo. Fridericus: De principiis. 2 Exempl.

9. Hertelius, Jo. Fridericus: Programma: De studiis legaliis  
modo et more variane, Jo. Christiani Gueckeleri  
... Disputationis inauguati - . . praemissum.

10. Hertelius, Jo. Fridericus: Programma: De conjugio  
mystico principis et populi, Ioannis Georgii Hertii 16  
Disputationis inaug. - . . praemissum.

11. Hertelius, Jo. Fridericus: Programma inaug: Recusatio /  
politica rerum sacrarum . . . , Ioannis Eusebii Leopoldi  
Horvati . . . disputationis inaug. . . . praemissum.

12<sup>a</sup>, b<sup>c</sup> Hertelius, Jo. Frider. : De iure glauis legendar. 2 Exempl.

13. Hertelius, Jo. Frider: De genuino ~~sensu~~ sensu legis C.XX.  
I, verb. sign.

14<sup>a</sup>, b<sup>c</sup> Hertelius, Jo. Fridericus: Programma inaug: /  
quo reprezentatur imperator sol pontifex et episcopus  
Iun., Ioannis Facof. Schenckij, Disputationis inauguati  
. . . praemissum. 2 Exempl.

1736

15. Herzogius, Georgius Ludovicus: Consultatio ... de quaestione: An heretis invitatio, legatis praemissis, valeat verbo: Favoleos reliqua omnia bona lego ?, quam publicarunt, quibus ad Disputationes de clementia iuri civili, ... Ioh. Gottl. Herneccius ... conscripsit ... an Dindas ... invertaret.

16. Kemmerichius, Diet. Stern: De iudiciis numeri athesae, quam vacant, apostolicae in Germania ad Capit. Caes. Art. 14.

17. Kemmerichius, Diet. Stern: Programe: De jure foresti nobilium imp. immediatis ... competente, Dissertationi ... Ioh. Georgii Haueri ... prae- missum - 2 exempl.

18. Kemmerichius, Diet. Stern; coll. iur. proteccamus: Programe: De fidei testamentorum ... diverso, dissertationi in ang. In. Pauli Langguthii ... prae missum.

1736.

19. Hammerichius, Diet. Homannus, Fac. iur. decanus:  
Programma: De iusto causarum vere pietatum favore  
Dissertationis in my. . . Georgii Philippi Ruppeli.

præmissione.

20. Schamburg, Iacobus Gottfried: De ficto iustorum veterum  
duplici officio, praefatus, et auctoritate orationem  
... invitas, qua professionem juris ordinariam  
et li. . . demandatam . . . expicabitur.

21. Schamburg, Iac. Gottfried: Denatura privilegiorum  
item gratiosorum quam condecorationalium.

22. Wenzius, Dr. Christianus: De bonis solidorum Brunn.  
censum et Lundbergium, corumque essentials et  
naturalibus.

23. Wedelias, Iacobus Gregorius, Fac. med. decanus: Proprietatum  
in my: De meliori modo parandi embolium hydraulicum  
alii communicatione (actus solenni Augusti Casperi Boeniges  
præmissione).

1736, 36  
4

---

PROLVSIO ACADEMICA

QVA  
DE

# BLASPHEMIA

---

## ILLIVSQVE CRIMINE

Oder:  
Ob iede Gottesblästerung ein Ver-  
brechen zu nennen sey? *(2)*

---

DISSESTIT  
AC SIMVL  
AD PRAELECTIONES SVAS  
CRASTINO DIE  
INCHOANDAS


IVRIVM CVLTORES  
EA QVA PAR EST SVBMISSIONE  
OBSERVANTIA HUMANITATEQVE


INVITAT

IO. RVDOLPHVS ENGAV, D.

JENAE LITTERIS RITTERIANIS.

28





Q. D. B. V. § I.



VONIAM omnis, quæ a ratione  
fuscipitur de aliqua re disputatio,  
debet a definitione profici: quid  
significet *blasphemia*, ante omnia  
annotare placet. Est autem il-  
lud vocabulum πολυσημον. (1) ad-  
pellationem a), (2) infamiam,  
(3) quamvis iniuriam (4) male-  
dictum (5) omne illud, quo Deus  
contemnitur, (6) hæresin b), in scriptis ICtorum de-  
notans. Nobis est iniuria, quam Deus patitur.

*blasphemia*  
*mis*

a) LL. Long. II, 52, 23. Capit. III, 7. Vnde phrasis illa: *ein  
Urtheil schelten*. V. BEYER ad C. C. art. 106. pos. 2,

b) BINGH. Orig. Eccl. lib. XVI. c. 7. §. 2.

§. II.

Quod (1) uel uerbis, uel factis, (2) uel mediate, *sicut iniuria*  
uel immediate committantur, & sic (3) uarii generis  
sint iniuriæ: tam notum est, quam quod notissimum.  
Nullam igitur causam esse duco, cur illud pluribus  
testatum faciam.

§. III.

*blasphemia*, quandoquidem in iniuriis est (§. I.), i) uel uero  
hæ autem uel uerbis, uel factis committuntur (§. II.): *balis*  
A 2 *in*

in uerbalem & realem, a Dd. recte, opinor, dispescitur c). Etiam si nativa significatio primituæ uocis, unde descendit blasphemia, obstat videtur; certe illud non curant ICti. Nemo enim neficit, significatus iuridicos uocabulorum: coniuncti, codicillorum, aliorumque ab origine & proprietate sua recedere quam maxime d). Verbalis autem dicitur, ubi Deo uerbis infertur iniuria. Sint ea uerba ore prolatæ an scripta, perinde est.

c) FROELICH comment. P. H. G. O. part. II. p. 6. n. 1.

d) LEYSER spec. 565. m. 12.

#### §. IV.

uel realis est

Realem blasphemiam plerumque uocant, ubi Deus re & facto contemnitur. Ut itaque in hanc incident, qui picturam aliquam, quæ Dei Christiue imaginem referre dicitur, conspuunt, cœdunt, aut alio contemnunt modo. e)

e) Id. c. l. m. 13.

#### §. V.

uel im-  
mediata

Atque etiam eadem de causa (§. I. II. 2.) alia est diuisio blasphemiarum, nam & mediata seu obliqua quædam blasphemia dicitur, & immediata. Per hanc intelligunt, iniuriam, quam Deus directe patitur.

#### §. VI.

quæ com-  
mittitur

Directe autem despicitur Deus, & sic immediata committitur blasphemia (§. V.), ubi (1) Deo inesse negantur, sine quibus nec uult nec potest concipi, uelut omnipotentia, iustitia, bonitas, omnium rerum prouidentia &c. aut (2) inesse dicuntur, quæ cum diuina natura & essentia pugnant, utpote impotentia, iniustitia, crudelitas, malitia, membra humana &c. f). Quarum blasphemiarum priorem derogatiuum, posteriorem uero attributiuum, sed barbare uocat GRASSVS g); (3) ubi creaturæ tribuunt, quæ soli Deo competunt h); (4) ubi detrahitur Deo uerbis obscenis aut maledictis i).

f) C. G.

- f) C. C. art. 106. Ord. Pol. Magd. c. 64. §. 1. Wurtenb. tit. 89.  
§. 4. p. 187.  
g) collat. J. Ciu. cum Recess. Imp. p. 727.  
h) FLACHS. Colleg. Crim. disp. vi. th. 5.  
i) KRESS. ad C. C. cit. art. §. 9.

§. VII.

Vnde (§. vi, 1.) blasphemiam immediatam committit, (1) qui omnia casu fortuito, nesciente plane uel non curante Deo contingere dicit *l*), (2) qui, Deus quin iustus sit, turpe dubium mouet *m*); (3) qui Deum ad- ulterium aliae mala placere, & bona displicere adserit *n*); (4) qui, ubi eventus uoto non respondit suo, prouidentiam diuinam abiudicat reiicitque *o*); (5) qui Deum hoc uel illud facere aut impedire posse, it plane inficias. Huc rerum forensium estimatores dicentem: *hoc Deo repugnante faciam p*), iure meritoque referunt, summa uero cum iniuria eum, qui, qua alii attributo repugnant u. c. mentiri, peccare, interire &c. Deum facere posse negat. Hinc si quis Deum factum infectum reddere, & uirginitatem semel amissam restituere posse negaret, eum blasphemum non haberem *q*) quia Deum non omnipotentem solum, sed & uerum ueneramur.

a) ubi Deo  
diuina in-  
esse negan-  
tur, aus

- l*) BERLICH. part. iv. concl. i. n. 20.  
*m*) Id. c. 1.  
*n*) GRASS. c. l. p. 741.  
*o*) CARPOV. pr. crim. q. 45. n. 18.  
*p*) MENOCH. cent. iv. cal. 375.  
*q*) CRUSIVS de indic. p. 11. c. 2. n. 18.

§. VIII.

Quandoquidem Deus iniuria directe petitur, ubi illi inesse dicuntur, qua cum diuina natura pugnant (§. vi, 2.) facile est ad intelligendum, in blasphemia im-

b) humana  
inesse di-  
cuntur

mediatae reorum numero eum etiam esse, (6) qui Deo corpus, caput, nasum <sup>r)</sup>, capillos, &c. in sensu proprio, aut mortalitatem <sup>s)</sup> expressis verbis tribuit <sup>t)</sup>, aut, (7) per ista humana, Deo adsignata, iurat. BOSSIO <sup>u)</sup> teste sunt, qui distinctionem: *Iureturne aliquid adserendo an detestando & uituperando?* magni faciunt, quæ tamen, si quid video, nullius momenti esset. Semper enim attribuis Deo, quod cum illius natura pugnat,

<sup>r)</sup> CARPZ. c. l. n. 19.

<sup>s)</sup> FARINACIVS pr. crim. q. 10. n. 21.

<sup>t)</sup> PETR. HEIDEN publ. iudic. c. I. concl. 5. HARPRECHT Resp. crim. 82. n. 27. seq.

<sup>u)</sup> pr. crim. f. 56.

### §. IX.

An reverentia Deo debita directe violetur, si quis Christo membra humana tribuat? forsitan quæris. Evidet nullam plane blasphemiam adesse putarem, quum omnes Christum habeamus θεανθρωπον. Neque vero hic negare uolo, blasphemiae, si minus immediatae, at mediatae, reum esse, qui ( $\alpha$ ) unum uel alterum membrum Christi uerborum lacerat contumeliis <sup>x)</sup>, aut ( $\beta$ ) illud praesertim ludibridus nominat, quod in hominibus nominari pudor prohibet, aut ( $\gamma$ ) per hoc illudue maledicit alteri. <sup>y)</sup>

<sup>x)</sup> GRASS. c. l. p. 746.

<sup>y)</sup> BERLICH. c. l. n. 26. sqq.

### §. X.

Vbi diuina dantur creaturis, blasphemia immediata committitur (§. vi. 3.). Hinc maiores nostri non potuerunt non blasphemiae immediatae reos habere, (8) eum, qui Diabolo idem ius, eandem potestatem, in animam tribuerat atque Deo <sup>b)</sup>; (9) eum, qui, uter fortius

fortius de anima sit pugnaturus, Deusne an diabolus?  
se nescire, & uictori animam uouere, dixerat. c) Fal-  
lor, aut eiusdem farinæ sunt (10) adulatores, qui prin-  
cipibus patronisque suis diuinos honores tribuere, &  
cum poeta illo canere nulli dubitant: *Dieu n'etoit pas  
Dieu, notre Roy le seroit.* Tantum uero proh! dolor  
abest, ut eos puniant, ut potius ex summo mendacio  
compositas laudes lubenter pati soleant patroni prin-  
cipesque.

- b) HARPPRECHT Resp. Crim. 81. n. 4. seq.  
c) GRASS. c.l. p. 740.

### §. XI.

Denique eorum, qui detraxerunt Deo uerbis ob-  
scenis d) & maledictis e) f), & sic blasphemiam immé-  
diatam commiserunt, (§. vi, 4.) fuerunt plures, utinam  
nullus. Dicta, quibus petulantissimæ linguae Deum  
consecratae sunt, proh dolor plura patent. g) Sed ea,  
quippe quæ quando me legere memini, obstupesco,  
commemorare nequeo, ea sciscitantem ablegaturus ad  
auctores modo (§. VII. seqq.) nominatos.

d) Deus  
uerbis ma-  
ledictis au-  
obscenis  
roditus

- d) THEODORICI Iudic. Crimin. c. 5, aph. 8. p. m. 681.  
e) FROELICH c.l. part. II, p. 7.  
f) THEODOR. c.l. p. 680.  
g) HVNNIVS disc. crimin. c. 6. §. 209. HARPPRECHT  
Resp. f. 425. seq. GRASS. c.l. p. 740. 742. seqq.

### §. XII.

*Blasphemiam mediataam seu obliquam dicō iniuriam,* uel medi-  
quā Deus per alterius latus uel duō argumento peritur, <sup>ta, qua Deus</sup>  
ueluti, (1) si quis uerbum & sacramenta contumeliis <sup>petitur.</sup>  
uexat omnibus; (2) contemnit Dei filium, Prophetas,  
Mariam; (3) picturam, quæ imaginem Dei uel Christi  
præ se ferre vulgo uidetur, dicit despiciatui.

### §. XIII.

## §. XIII.

Vnde blasphemiarum mediatæ rei sunt (1) qui parui  
 a) per uerbum & sacramenta.  
 admodum aestimat & cum re uilissima comparari iubet  
 S. S. b); (2) qui eandem ad instar idoli babylonici  
 adorari solere statuit i); (3) abutens hostia ad philtrum,  
 incantationes aliasque artes diabolicas l), (4) oppedens  
 facræ canæ. m)

b) SALIG Elect. iur. th. pt. cas. 65. p. 782.

i) PISTOR cent. i. paroem. II.

l) LEYSER c. l. m. 13.

m) GRASS. c. l. p. 752.

## §. XIV.

Iurene an iniuria hue referantur (5) phrases Scripturarum uel integros textus detorquens, & ad res profanas ludicrasque proferens; (6) foedans scurrilibus iocis ueneranda sacri codicis loca; (7) baptizans tyrones in boethorum numerum recipiendos &c. disquistant alii.

## §. XV.

b) per latus Christi, Quod (8) Christi natales, uulnera uel sanguinem qui deriserunt, speciatim (9) qui carmina sacra, in Christum natum condita impiis confusparcauit formulis n), & G. H. de inastimibili sanguine redemptoris nostri petulanter locutus o); (10) per passionem Christi mala precatus alteri p); (11) masculos Francisci sanguine redemptos, seminarum uero salutem uirginitate Clara reparatam esse, qui statuit q): mediatæ blasphemiarum rei fuerint, uel ex eopatet, quod Dei filium exposuerint ludibrio. En blasphemum! (§. xii, 2.)

n) THEODOR. c. l. p. 68t.

o) HARPPRECHT Resp. Crim. 82. n. 21.

p) R. I. de A. 1530. tit. von Gotterläß. 1548. von Gottesfch. 1577. tit. 2. Huc quoque facit HARPPRECHT, qui c. l. n. 56.

n. 56. quendam fratri suo h. u. Er wolte ihn bey Christi Leid-  
den und Marter zum armen Manne machen, und ihm seines  
Hof wegnehmen, maledixisse refert.

2) CRYSVS de indicis p. II. f. 6. n. 14.

### §. XVI.

Quum etiam per latus prophetarum, Mariæ, san- Mariæ ap-  
ctorumque iniuria peti possit Deus (§. XIII., 2.): notes que san-  
uelim, non omne factum dictumue in illos injurium,  
in hunc referri posse, sed illud demum, quod in pro-  
phetam, qua talem, Mariam, qua Christi matrem, &  
sanctos propterea quod doctrinam uitamque Christi  
secuti fuerint, coniicitur.

### §. XVII.

Hinc quidem profecto blasphemiae mediatae reus  
est, (12) qui Doctorem ecclesia ea de causa, quod po-  
pulo mandatum significet Dei aut prælegat biblia, men-  
daceum vocat; (13) qui Mariam meretricem ueniditat<sup>r</sup>);  
(14) qui risum captat considerans sanctorum uitam, do-  
ctrina pariter atque exemplo Christi congruam; neu-  
tiquam uero (15) qui in eo est, ut personam clerici ex-  
ponat contentui, dicens: *Du trägst Gottes Wort nicht  
vor, du verfälscht die Schrift s)*; (16) qui Mariam &  
Sanctos religiose non prosequitur, & eos intercessio-  
res negat. Pontificiorum <sup>r</sup>) dogmata, & dispositionem  
Caroli V. u), ea sequentem, non curro <sup>x</sup>). Euangelicus  
ueneror quidem Mariam uereque sanctos, <sup>s</sup> ut cum  
III. BOEHMERO <sup>y</sup>) loquar) quicquid contra hanc ue-  
nerationem fit, suscipitur, dicitur, a blasphemia alienum,  
& impietatis tantum & profanæ mentis indicium esse credo.

r) MULLER, Jurispr. Crimin. d. IV. th. 10.

s) LEYSER c. l. med. 10.

z) ESPEN Jur. Eccl. p. III. tit. IV. c. V. n. 2.

u) C. C. art. 106.

B

x) STRYK.

- x) STRYK. V. M. 20, tit. ad L. Jul. Mai. §. 31.  
y) J. Eccl. Prot. tit. de reliquiis §. VIII. p. m. 886.

## §. XVIII.

c) per imma- Denique (17) qui S. S. Trinitatem in utero Ma-  
gines riæ aperto pingit z); (18) qui picturam, quæ refert  
imaginem Christi ad crucem adfixi, sputo uel spur-  
cicie maculat, corrumpit, abradit, dilacerat, a) ca-  
dit, conculcat; (19) malevolus ille qui deum huius  
imaginem adspiciens, extingui posse statuerat b); in  
mediatis blasphemantibus esse, ex supra dictis  
(§. XIII, 3.) facile cognoscere potes.

z) SANDIVS H. Eccl. encl. p. 82.

a) THEODORIC C. I. p. 682.

b) HARPPRECHT C. I. f. 414. a. GRASS. C. I. p. 744.

## §. XIX.

3) uel han- Ex quibus omnibus satis superque pater (1) mox  
plex uel immediatam (§. XIII, seqq.) mox immediatam (§. VI, seqq.)  
atrox. committi blasphemiam, & hanc (2) uel attributuam  
(§. VIII.) aut derogatoriam tantum (§. VII.), uel attribuam  
& derogatoriam simul esse (§. X. seqq.), ut  
sic cognoscere possis 3) causam esse, cur blasphemiam  
in Simplicem & atrocem diuidant Dd. At, inquis,  
omnis iniuria in Deum collata, atrox est; tamen scias  
uelim, quod dentur atrocitatis gradus.

## §. XX.

Crimen Crimen blasphemie est iniuria in Deum dolo ma-  
constituit lo collata.

## §. XXI.

Ex qua definitione hæc deduco axiomata:  
I. Blasphemia sine dolo crimen non constituit.  
II. Plura dantur criminis blasphemie genera.

## §. XXII.

Quia blasphemia sine dolo crimen non constituit  
(§. XXI, I.): sequitur (1) ut detur blasphemie sine cri-  
mine;

mine; (2) ut omnium factorum dictorumque blasphemorum (§. vi. seqq.) quæ a doli non capacibus prouenerunt, impunitas danda sit; (3) ut criminis blasphemiarum accusari queant, qui doli sunt capaces c), neutquam uero (4) qui uel (a) ratione, illiusue exercitio, uel (b) sufficiente Dei cognitione, uel (γ) uoluntate libera destituuntur; (5) ut, qui non præmediato consilio contemnunt Deum, minus peccent, atque qui cogitatione & dolo idem faciunt; (6) ut delinquum rationis tollat, impetus uero animi dolum minuat d) immo (7) ab illo plane non excusat, ubi (c) facilis negotio cohiberi potuit, aut (b) in futurum seruatus, aut (γ) fusis blasphemis probatus, aut (d) studio quaesitus est.

c) Rec. Imp. 1512. tit. von Gottesl.ß. Ref. Pol. 1548. tit. 1. §. 2. 3.  
d) Edich. Maximil. de A. 1495. ubi uerba: *Wo solches aus bewegter Hitze des Zorns, aus Trunkenheit, oder dergleichen Zufalle z. b. dacht geschehe &c.*

## §. XXIII.

Quilibet, qui doli capax, criminis blasphemie ac-  
cusari potest. (§. XXII, 3.). Hinc oppido egregie fallun-  
tur, qui uolunt e) ab hac regula (1) clericos f), (2) rusti-  
cos g), & (3) eos, qui sub conditione blasphemarunt, eximi-  
quum tamen h), quod floccifaciant tententque Deum,  
& de illius essentia dubitent, sat aperte doceant h);  
illorum uero crimina, iure diuino prohibita, nihil quic-  
quam, ex communi omnium suffragio, excusationis ha-  
beant, iiii denique, ubi Deum illiusque res contume-  
liis prosequantur i), eo improbiorem prodant mali-  
tiam, quo solidiorem Dei cognitionem gloriari solent.  
Ut itaque, si quid video, in clericos blasphemantes  
LL. debeant esse asperiores non autem leniores, quam  
in laicos. k).

a quoque  
que uelit  
coniuictus

e) BERLICH. c. I. n. 109.

f) Ref. Pol. de A. 1548. tit. I. §. 3. ubi uerba: *er sey geistlich  
oder weltlich &c.*

B 2

g) CLA.

- g) CLARVS lib. v. sentent. §. blasphemia. n. 3.  
 h) BLVMELACHER ad C. C. art. 106. n. 12. GRANTZ. def. inquisit. c. 6. m. 2. sect. 2. art. 11. p. m. 854.  
 i) BERGER El. Jurisprud. Crim. suppl. p. n. obs. 35. p. 474.  
 k) LEYSER c. l. m. 18.

## §. XXIV.

Tollit au-  
tem dolum  
a) rationis  
b) sufficien-  
tis Dei  
cognitionis  
&  
d) blasphemia  
e) criminis  
f) accusari nequeunt  
(§. XXII, 4. β). quis est, qui non (a) infantes, (b) furiosos,  
(c) dementes, (d) maniacos, (e) in summo melancho-  
lia gradu constitutos, (f) in febri ardenti deliros, si quæ  
blasphema protulerint uerba factaque suscepserint, extra  
blasphemæ crimen positos esse iudicet?

## §. XXV.

Dolum quoque ex blasphemæ tollit religio  
dei (§. XXII, 4. β). (7) In hac errans, Deumque offendens,  
blasphemus quidem est, sed non sciens. Impius est,  
sed hoc putat esse ueram pietatem. Errat ergo, sed bo-  
no animo, non odio, sed affectu Dei, honorare se do-  
minus atque amare credens. Ex quo fonte ipse ser-  
uator totius orbis Iudeos, a quibus in crucem plane  
sublatus erat, excusauit, dicens: *εγώ οἶδα τι τοις ιστι.*<sup>1)</sup> Eadem de causa Iudeos adhuc hodie, si quæ uerba  
blasphema [dummodo non maledicta, hæc enim sicut  
nulla producit, ita nec excusat religio<sup>m</sup>] in Christum  
proferunt, excusant, quotquot rem probe perpendere  
possunt, uoluntque.<sup>n)</sup> Obstant quidem imperii LL.<sup>o)</sup>,  
sed eas non attendo, quum eo iam tempore conditæ  
sint, quo pluralitas uotorum in causis religionis atten-  
denda erat.

l) LUC. XXIII, 24.

m) KRESS. 2d c. art. §. 9.

n) TITII Probe des geistl. Rechts. III, 5. 27. seq. FLEISCHERS  
Einleitung zum geistl. R. II, 31. 2.

o) R. I. 1512. 1531.

## §. XXVI.

## §. XXVI.

Quum qui libera defititur voluntate, dolo malo expers est (§. xxii, γ): uides, in criminis blasphemiae reis non esse, (8) qui blasphemiam committere aut blasphemiarum alterius particeps fieri, ea ui, cui resistere impar, cogitur. p) Eiusmodi uim a persecutoribus ethniciis non unus & alter, sed plures christiani primitiæ ecclesiæ passi sunt, ut Christum negarent, ei- que maledicerent. q)

q) liberæ  
voluntatis  
delinquens;

p) Diff. GRANTZ. def. inquis. c. 6. m. 2. secl. II. art. 7. n. 245.  
q) PLIN. X. ep. 97. BINGHAM Orig. lib. XVI. c. 7. §. I.

## §. XXVII.

Dolo, & sic crimine vacante denique (9) iudex, de- nuntiator, accusator, historicus, & si quis alius refert blasphemias perpetratas. Ipsam paginam sacram referre impia uerba r) ad unum scimus omnes. Illud tamen iniicias ire nequeo, caendum esse cuique blasphema uerba referenti, ut curiositatem quandam uel voluptatem prodat; hanc enim utramque in rebus illicitis iura omnino prohibent. s)

r) 1 Reg. xx, 23, 28. 2 Reg. xviii, 34, 35. Matth. viii, 29.

s) STRYK d. de eurofositate.

## §. XXVIII.

Quandoquidem impetus animi dolum minuit minuit  
(§. xxii, 6.) & minus peccat, qui blasphemat non pra- contra  
meditato consilio (§. xxii, 5.): statuunt iuris criminalis a) temeritas  
Dd., non uerum, sed qu. crimen blasphemiae commit-  
tere, qui blasphema agunt dicantque (1) ex incogitan-  
tia, imprudentia, temeritate t), qua ex subsecuta facti  
poenitentia, certo animi indice, colligitur; (2) ex com-  
muni omnium ciuitatis, qua quisque degit, membro-  
rum consuetudine u), ut si quis degentium in terris Wur-  
tenbergicis clericorum carcerem diceret die Bibel. x)

t) Edict. Max. de A. 1495.

B 3

u) KRESS.

*a)* KRESS. c. l. §. 6. n. 5.

*x)* HOLLAND de Arrest. p. 66.

### §. XXIX.

*b)* ira

Ex eadem causa (§. XXVIII. XXII. 6.) in numerum quod delinquentium refero, (3) eos etiam, qui in medio astu illius irae, quam iusta causa u. c. offensionis uiolenta, adeo commouit, ut furor esset breuis, omnemque ab alienariet mentem, Deum proscidit conuitis. *y)* Animo contra & cogitatione potius quam impetu peccare, & sic uenia nulla dignus uidetur esse, qui blasphemauit accusatus ira, (a) quam facile retinere potuerit (§. XXII. 7. *a*) aut (b) ea, quæ interposito tempore iam deserbueraut (§. XXII. 7. *b*) *z)*; aut (c) quam iniusta causa, u. c. iufus, aliudue negotium illicitum &c. generauit (§. XXII. *d*). *a)*

*y)* Ed. Max. cit. l. CARER pr. cr. p. 186.

*z)* LEYSER c. l. m. 28.

*a)* Ref. Pol. 1548. rubr. von Gottesl. FROELICH II. 1. 2. §. 14. BERLICH. concl. i. n. 95. STRYK. V. M. 7. tit. ad L. Iul. Mai. §. 19. f.

### §. XXX.

*c)* ebrietas

Idem, quo se a crimine quodammodo liberet, putato habere (4) eum, qui, quum blasphemiam committeret, adeo erat obrutus uino, ut omni ratione priuatumi eum nemo non iudicauerit. *b)* Nihil uero excusationis habet, (a) qui leui (§. XXII. *a*), uel (b) adfectata (§. XXII. *d*) sepultus ebrietate, aut (c) crapula discussa gloriatus est de blasphemia, quam commisit ebrius (§. XXII. *y*)

*b)* Weichb. rubr. Gottesl. R. I. 1500. 1512. eod. tit. BERGER Elect. Jurisprud. Crim. part. II. p. 10.

### §. XXXI.

*d)* amor

Huc porro, me quidem iudice, referri possunt, (5) quem, quod nimia amoris mollitie ductus puellas immodice laudauerit, iisque nominibus, quæ folius Dei pro-

propria, uocauerit statim atque illius mentis quies trans  
quillitasque restituta, dictorum pœnitent c); (6) errantes e) error,  
in obiecto. Res exemplo clarior erit. Marcus, in ea  
hærens opinione, quod librum manibus teneat amato-  
rium, quum tamen biblia habeat, dicit: *ich thät was &c.*  
hunc consensu, animo blasphemandi, &, quod ex eo se-  
quitur, crimine uacare quis est qui dubitet?

c) FARINAC. pr. cr. qu. 20.

### §. XXXII.

Vellem ac peruellem adducere plura, præsertim  
(1) de uariis criminis blasphemia generibus, (2) reo-  
rum sociis (3) pœnisque; (4) de causis, quæ pœnam uel  
tollunt uel mitigate, (5) de inuestigando huius delicti  
corpo, (6) de officio blasphemum defensuri. Ast uari-  
us de causis hæc alii tempori reseruare cogor, iam  
significaturus, quod apud animum constituerim, per hoc  
semestre, sub auspiciis supremi Numinis

h. IX.-X. & III.-IV. instillare PANDECTAS, Ill. BOEH-  
MERO præente, ea scilicet ratione, ut ad fi-  
nem perducto labore, quilibet non poterit  
non adfirmare, me principia J. Rom. & Germ.  
probe distinxisse, distincta satis explicasse, ex-  
plicata ipsis rerum argumentis, seu casibus,  
ut loquuntur, illustrasse.

h. X.-XI. prælegere *Jus Canonico-Pontificio-Ecclesiasti-  
cum*, duce Exc. PERTSCHIO.

Quod fieri hoc quidem modo, ut cuiusque in-  
stituti ecclesiastici originem, rationem, fata,  
nauos, iura, horumque usum cum in foris  
Pontificiorum, tum præsertim Protestan-  
tium, luculenter doceam.

h. XI.-XII. interpretari solide atque fideliter STRVII  
*Jurisprudentiam Rom. Germ. forensem.*

b. II.-III.

h. II.-III. tradere *Jurisprudentiam Criminalem theore-tico-practicam*, ad Elementa Exc. BOEHMERI.

*Primum* cuiusque delicti naturam poenamque docebo, & quæ hanc mitigent, illam uero destruant, causas suppeditabo. *Post* prudentiam iudicis in inquirendo, fiscalis in accusando & monendo, defensoris in deducenda rei innocentia, ueram non simulatam demonstrabo. *Denique* specimina cuiusvis generis elaboranda dabo; acta iudicialia ad statum legendi & ex illis factum referendi, communicabo, ut sic legitimam iuris ad facta adpli-cationem atque modum referendi, rationemque relationes ab aliis conscriptas dijudican-di, tradere queam.

h. IV.- V. aperire *Collegium Iuris Germanici*; ueteris pariter atque noui, ad ductum *Elementorum meorum*, quæ mox sub prelo sudabunt Crockeriano.

*Collegia Pandectarum, Iuris Canonico-Pontificio-Eclesiastici, Iuris Criminalis & Struianum Deo uolente craftino die aperturus sum; praelectionum uero Iuris Germanici, ubi Crockerus ex panegyri Lipsiensi redi-bit, & compendium meum sub prelum dabit, statim initium faciam.*

Quibus prælectionibus meis frequentes interesse uelitis, VOS, ILLVSTRISSIMI COMITES, DOMINI MEI GRATIOSISSIMI, itidemque VOS, GENERO SISSIMI, GENEROSI atque NOBILISSIMI COM-MILITONES, Domini, fautores & amici mei astutissimi ea, qua decet, submissione, obseruantia, humanitateque rogatos uolo. Scribebam Iena, d. xiv. Oct.

M DCC XXXVI.




**ULB Halle**  
005 304 989

3



vDn8



**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

PROLVSIO ACADEMICA

QVA  
DE

# BLASPHEMIA ILLIVSQVE CRIMINE

Oder:

Ob iede Gotteslästerung ein Ver-  
brechen zu nennen sey?

DISSE RIT  
AC SIMVL

AD PRAELECTIONES SVAS  
CRASTINO DIE  
INCHOANDAS

IVRIVM CVLTORES  
EA QVA PAR EST SVBMISSIONE  
OBSERVANTIA HUMANITATEQVE

INVITAT  
**IO. RVDOLPHVS ENGAV, D.**  
IENAE LITTERIS RITTERIANIS.